Denique & VOS, Auditores reliqui, Commilitones optimi, adimplete læti ſpem Patriæ, Voluntatem Parentum, deſiderium Præceptorum; Spem facite ſubſecutorum aliquando feliciorum temporum; Decurrite ſtrenuè in ingreſſo ſtudiorum ſtadio, & ad Eruditionis ſolidæ palmam aſſequendam citatô gradu mecum contendite alacres; ubi pariter certi eſtis, pergite mecum; ubi pariter hæſitatis, quærite mecum; ubi pariter errores admiſſos agnoſcitis, revertimini mecum; & ubi pariter alios à ſcopo abludere cernitis, eos revocate mecum. Ita Regiam ad veræ Eruditionis culmen viam ingrediemur; ita demùm indultas nobis à Deo dotes animi rectè collocabimus; ita non intermorituram noſtri nominis gloriam aſportabimus. ADHORTATIO ad AUDITORES.

Vivant ergò, iterumque vivant Sereniſſimi noſtri PRINCIPES! & florebit Patria. Vivant EORUM ADMINISTRI Illuſtriſſimi! & florebit Academia. Vivant hujus Excellentiſſimi PROFESSORES! & florebit Eruditio. Sequemini hos, Auditores, & vivetis in æternum:

Vivitur ingeniô, cætera mortis erunt!

D I X I.

Anhang

XXXII.

DISSERTATIO

DE

JURE DETRACTUS,

Von der

Nachſteuer oder dem Abzugs-Recht.

PRÆSIDE

DN. JOHANNE THEODORO SHEFFER, U.J.D,

COMITE PALATINO CAESAREO PROF. JUR. PUBL. ORD. reliq.

Pro Licentia defenſa ab AUCTORE

JOHANNE NICOLAO CRONNAGEL, *Dinckelsbühl.* Supremâ quod hic eſt, Dicaſterii Würtembergici Advocato,

Tubingæ, 1730.

 B. L. S.

B. L. S.

ARduum sane est & quotidiana in praxi occurrens hoc, quod mihi Specimini Inauguralis loco elaborandum proposui, Thema: Animo quidem constitueram prius, illud pro eximia sua & insigni, quam in Republica habet, utilitate paulo specialius deducere; Cum tamen vix una alterave elapsa fuerit hebdomas, ubi almam hanc adierim Universitatem & hoc ipso temporis spatio non modo consueta pro obtinendo Gradu Doctorali sustinuerim examina, prætereaque in numerum supremi, quod hic floret, Dicasterii Würtembergici Advocatorum gratiosissime receptus fuerim, sed etiam, quod magis est, ob proxime instantem Actum promotionis solennem ad elaborationem Thematis nihil ferè temporis mihi fuerit relictum, propositum mutare, & ob has ipsas, in quas præter opinionem incidi angustias, materiam hanc, aliàs maximè practicabilem & quotidianam, non quantum satis est, plena eruditaque tractatione elaborare, sed primas saltem eas lineas ducere digitoque quasi monstrare fontem, unde jus hoc descenderet, coactus fui; Quod si tamen aliquando plus otii fuerimus nacti & cognoverimus, æquam in partem hæc, quæ scripta sunt, accepta fuisse, ea quæ restant: de personis, quibus hoc jus competit, contra quas exerceatur &c. alio tempore uberius & forsan per modum perfectionis Tractationis explanaturi sumus. Satis igitur excusatos nos habebis B. Lector! & si aliqua irrepserint, quæ minus rectè dicta videbuntur erroris veniam exiguo temporis spatio & concatenatis, qui præterea Excellentissimum Dominum Præsidem undiquaque occupatum tenent, laboribus summæque materiæ difficultati adscribes; Hoc est quod abs Tua humanitate speramus atque flagitamus. Sit igitur Dissertationis nostræ

Cap. I.

DE

Etymologia Juris Detractus, ejusque Homonymia, Synonyma, descriptione reali & Divisione.

§. I.

QUamvis Terminorum explicatio magis ad Philologorum, quam JCtorum pertineat forum & Leges nostræ Civiles, quæ jubent, ut rerum potior, quam verborum habenda sit ratio, *arg. Nov. 15. pr. in fin.* sub rigidum Grammaticorum imperium revocari nequeant, prætereaque in Jure operam navantes officio suo satisfecisse communiter credant, si ea, quæ sapiunt pulverem, *uti vocant*, Scholasticum, sicco potius prætereant pede, quam ut operose iis insistant: Nihilominus tamen, cum quævis Disciplina suos habeat terminos technicos & suas artificiales significationes, sine quorum intellectu ad ipsius rei interiora pedem transferre nemini liceat, insuperque infiniti ex verborum æquivocatione facile oriantur errores,

rores, ante omnia in vocum significationes erit inquirendum: quod ipsum è veterum JCtorum in perscrutandis verborum ductibus adhibita ingenti solertia abunde satis apparet; Nobis igitur quis vitio vertat, non scimus, si illorum præsertim *ULPIANI in L. 1. pr. de J. & J. L. l. §. l. de pact. l. 1 pr. de R. C. PAULI in L. 2. §. 2. eod. & in L. l. pr. de furt. GAZI. in l. 1. d. O. J. & JULIANI in L. 51, pr. ad L. Aquil.* Immo ipsius *SACRATISSIMI* Imperatoris *JUSTINIANI* vestigiis de quid vid. §. 5. *J. quib. mod. jus P. P. salv.* §. 2. *J. de Tutel. cum. simil.* inhærentes priusquam ad ipsius rei pertractationem deveniamus terminos in rubro *Dissertationis nostræ* occurrentes brevissimis exponamus.

II. Vocabulum *Juris* unde derivetur, & quam varios istud in Jure nostro Civili Romano accipiat Significatus vel Dupondiis notum est, & luculenter apparet ex *L. penult. & ult. ff. de just. & jur.* Hic accipitur pro *facultate morali personis circa aliquid competente* sive pro *libertate agendi. vid.* B. Dn. Lauterb. *in Colleg. Theor. Pract. d. tit.* §. 20. *& Illustr.* D. Boehmer. *in Introd. ad ff. eod. n. 11.*

III. Vox *Detractus* vero est, uti omnibus liquet, nomen verbale & derivatur à præpositione *de* von vel ab & verbo *trahere*, ziehen / ejusque supino *detractum*, de qua tamen voce rectius consuli poterunt Lexicographi, quorsum etiam B. Lectorem remittimus.

IV. Germanis hoc ipsum *Jus Detractus*, quod alii etiam *Deductionem*, *Censum*, vel *Jus Emigrationis*. *Gabellam Detractionis*, iridemque *Collectam* & *Jus Gabellarum* appellant, vernacula lingua dicitur: Die Nach-Steuer / das Abzugs- oder Abfahrts-Recht / ingleichen der Nachschoß / die Abschiedung / Außnahm-Geld / Außkauff / Auß- oder Weeglossung / Zehende Pfennig ꝛc. vid. Besold. *in Thesaur. pract. voc.* Abschoß / Nach-Steuer. ibique Dechir. & Wehner. in *observ. pract. ad easd. voc. adi.* B. Dn. Hert. in *disp. de superiorit. terr. n. 55.*

V. *Jus Detractus* verò in genere describi potest, quod sit *potestas Principi sive Magistratui competens de Civium emigrantium vel eorum hæreditates capientium bonis alibi transferendis certam portionem detrahendi.*

VI. Estque *duplex*; Jus sc. *Detractionis* in *specie* sic dictum, & Jus *Emigrationis*. *Illud* est, quo de rebus peregrino hæredi vel legatario per successionem ab intestato aut testamentum sub illo Magistratu acquisitis & alio transferendis in foro rei sitæ quota certa deducitur. *propriè*, der Abzug oder Abschoß / wann nemlich das Erbe aus denen Gerichten / oder dem Territorio, in ein frembdes abgefolgt wird. Vid. Philoparchi Kluger Beambter *part. 1. cap 28. §. 1.* Dicitur alias *Detractus realis* vid. Illustr. Dn. de Berger *Oeconom. jur. l. b. 1. tit. 2.* §. 18. & de hac materia *peculiar. dissert.* B. Dn. Cocceji de *jure Detractus*, *per tot.*

VII. *Jus Emigrationis* verò est, vi cujus Cives e Civitate alio migrantes Principi sive Magistratui, cui subsunt, de omnibus eorum bonis, tam mobilibus, quam immobilibus, tempore discessus possessis certum quid solvere cogunturur. Hocque appellatur die Nach-Steuer oder der Nachschoß / Philoparch. *d. l.* & vocatur *Detractus personalis*, III. Dn. de Berger. *d. l.* quamvis si rem ipsam consideremus, exigua vel nulla prorsus horum vocabulorum sit differentia, quæ causa quoque est, cur termini isti sæpius confundantur, ac promiscuè usurpentur, vid. Recess. Imp. *de an. 1594.* §. und so viel. 82. B. Dn. Sam. Stryck. in *disp. de Resignatione, Juris Civit. cap. 5. §. 3. & 4.* & Knipschild. *de Civit. Imper. Jur. & privileg. lib. 2. cap. 20. n. 8.*

VIII. Alias autem *Jus Migrationis* respicit *Subditos* vel *venientes* vel *abeuntes*, hinc rursus *induplici* accipitur *significatu*, quatenus scil. solvitur vel Civitatis *adipiscendæ*, vel *deserendæ* causa. Jacob. Bornit. *de ærario lib. 4. cap. 7.* Illud dicitur das Burger Geld / die Auffnahm / it. der Burger- oder Pflicht Pfennig, vid. Wehner. ad voc. Burger-Recht & Limn. *in Jur. Publ. tom. 2. lib. 7. cap. 25. in addit. p. 228.* nec jam nostri est Instituti; hinc illud hac vice consultò hic omittimus, & duas saltem illas species, quarum in Descriptione mentionem injecimus, retinemus.

IX. Utrumque vero fundamentum suum habet in Domino illo Universali, quod Principi sive Magistratui in personas & bona subditorum asseritur. Vox *Principis* verò vel *Magistratus* hic tam latè sumitur, ut omnes, qui τὸ κύριον in Republica gerunt, sub se comprehendat. Sed ne circa hoc ipsum Caput ultra propositum nostrum prolixiores simus, accedimus ad

Caput II.
de
Libertate Migrandi tam in Genere, quam in Specie.

§. I.

Hic si naturalem intueamur Libertatem, deprehendimus Naturam, nulli nos certo loco tanquam adscriptitios alligasse, sed potius totum orbem inhabitandi facultatem nobis concessisse; cuilibet igitur in tali libertate constituto integrum manet & manebit domicilium suum pro lubitu variare, ac unam Regionem cum altera cnmmutare.

II. Aliud tamen dicendum, si talis homo, qui antea nullius agnovit Imperium, vel agnovit quidem, sed eo jam solutus est, sponte sese alicui Civitati adjungit, tunc enim casus probe sunt discernendi: Talis enim liber homo vel sibi in pacto subjectionis, quod societatem necessariò præcedere debet, licentiam emigrandi expresse reservavit, vel non, *priori in casu* standum erit conven-

ventioni, nec invitus detineri poterit in Civitate, *posteriori* vero *in casu*, si in subjectionis pacto nulla prorsus licentiæ hujus fuerit facta mentio an tunc quoque discessus ipsi integer & salvus maneat, inter maximi nominis Scriptores adhuc sub Judice lis est.

III. *Negativam* hujus sententiæ tueri videtur Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 5. §. 24. Affirmativæ* vero inhæret. B. Dn. de Pufendorf. existimans: licentiam pro arbitrio migrandi liberum hominem sibi semper reservasse, utque adeo *mundanum* se potius, cum Socrate, quam *Glebæ certæ* adscriptum facere voluisse præsumatur & hanc in rem adducit loca ex Valer. Flacco, Diodor, Sicul. Cicerone *aliisque*. Qui enim, *inquiens*, Civitati se adjungit, ille cura sui ac rerum suarum haud quidquam sese abdicat; Sed id potius agit, ut in signe sibi firmamentum circumponat; Quia tamen sæpe contingit, ut publicum Regimen privatis alicujus rationibus parum expediat, aut alibi commodius iisdem queat prospici: & verò postulari nequit, ut ad unius aut paucorum lubitum Respublica reformetur: proximum erit, ut ipsis sit concessum per migrationem, rebus suis consulere. *Et porro:* talibus licentiam migrandi denegare velle, idem foret atque liberis hominibus imperare, ut supra parentum suorum conditionem nunquam adspirare audeant, sed & ipsæ civitates ex hac migrandi licentia commodum sentire posse adscitis aliunde egregiis viris. Id Pufendorf. de *Jure Nat. & Gent. Lib. 8. c. 11. §. 2.* Cui adstipulatur, & simul argumentis Grotiis satisfacere conatur. B. Dn. Dr. Hochstetter *in Colleg. Pufend. exerc. 11. §. 56.*

IV. Rectius tamen cum Grotio *cap. 5. §. 24. n. 2.* arbitramur, emigrationem istam prohiberi posse, si societatis interfit, ne quis ex ea discedat adeoque expressum Imperantis vel Civitatis consensum semper requiri. vid. egregiè hac de re disserentem. Ulr. Huber. de Jure Civit. *lib. 2. Sect. 2. cap. 1. n. 28. mult. sqq.* & Exc. Dn. Prof. Rœsler. in Themat. Jurisprud. Natur. *lib. 2. cap. 18 §. 16. & 17.*

V. Duplex enim ex ipsius Pufendorfii doctrina ad constituendam Societatem civilem semper requiritur pactum: *Unum*, idque præcedens, quod ipsam constitutionem civitatis, *alterum* vero, quod formam regiminis respicit: Pufend. *Lib. 7. cap. 2. §. 7. & 8.* Licet enim priori pacto renuntiare Civibus semper integrum maneat, ex posteriori, tanquam fortiori, tamen non naturalis tantum, sed civilis oritur obligatio, quæ ex natura fœderum est dijudicanda, & quo mediante concivibus non tantum, sed summo præsertim Imperanti Jus aliquod tribuitur quæsitum. Adeundus igitur hic ipse erit, qui cognoscere potest, num emigratio damno vel fraudi sit Reipublicæ, nec ne? prius si deprehendat, rectissime denegabit discessum. vid. Bodinus *L. 1. de Republ. cap. 6. p. 90* (58.) qui ita sentit: *omnibus tamen Principibus ac Civitatibus pro jure Majestatis Imperii Cives domi continere semper licuit ac licebit.* Sin vero nullo vel exiguo civitatis

 commo-

commodo discessum & simul fortunam Civis remoretur Princeps, regulariter quidem cogi non poterit: quo vero jure id faciat & an non peccet contra officium æqui ac boni Principis alia est quæstio, quam nos hic relinquimus intactam, interim vid. B. Dn, Hert. *in not.* ad Pufendorf. *d. lib. 8. cap. 2. §. 2.*

VI. Et hæc non tantum dijudicanda veniunt ex regulis *Decori*, quod vult Pufend. *d. cap. 11. §. 3.* dum dicit: *cum Civitatis plerumque interfit, nosse Civium numerum, indicet de suo discessu*, sed ex regulis quoque *justitiæ* & *prudentiæ* civilis, quas Princeps præsertim potest habere cognitas.

VII. Hinc omni planè caret dubio, publicis locorum statutis emigrationem posse impediri, quæ lex inprimis in Moscovia, China, & Ducatu Parmensi suos propugnatores invenit. Plura hac de re nobis infert Simon *in not. ad Grotium d. l. 2. c. 5. §. 24.* ubi quoque notandum, quod de Jure Civili Romano quidem Domicilium habitationis quilibet pro arbitrio mutare potuerit, atque animo emigrandi bonis suis alium in locum translatis, Jus Civitatis amiserit, per *L. 20. & 27. §. 1. ff. ad municip.* Domicilium vero originis penes ipsos quoque immutabiles erat, & Civis originarius illud neque per renunciationem, neque per mutationem tollere poterat, sed quocunque se vertebat, jus illud retinebat. *L. 6. ff. & L. 4. seq. C. eod.* vid. Gylmann. *Symphorem. Supplicat. Tom. 1. part. 3. vol. 2. n. 2. seq.* & Mev. ad *Jus Lub. l. 1. tit. 2. n. 16.* & talem civem, etiamsi emigrandi licentiam nactus fuerit, ob hoc ipsum vinculum & alia beneficia ante percepta antiquæ patriæ permanere obligatum, quatenus novæ status patitur, comprobatur exemplo *Joh. Storrii*, nativitate Angli, qui, utut Hispaniæ Regis subditus postea fuerit juratus, quod multa contra Angliæ Regnum machinatus esset, ex insidiis captus Majestatisque damnatus fuit; ratio addebatur, quod nemo patriam, in qua natus, exuere, neque solum natale aut Principem pro libero arbitrio posset ejurare. Vid. Camdenus *ad ann. 1571.* & Joh. Meursius *in vita Guilielim. Auriac. l. 5. ad ann. 1569.*

VIII. Statum *Germaniæ* nostræ antiquum si consideremus, abunde satis patescit Status Imperii in vindicandis iisdem suis juribus semper fuisse tenacissimos, testatur id ipsum Imperator Carolus IV. *in Aur. Bulla tit. 16. per tot.* ubi ejusmodi civis absque impetrata venia è civitate discedens æquiparatur belluæ, jugum originariæ subjectionis abjicere quaerenti. Digna sunt verba Augustissimi Imperatoris, ut hic adducantur: Ita enim ibi: *Ceterum, quia nonnulli Cives & subditi Principum, Baronum & aliorum hominum, sicuti frequens ad nos querela perduxit, jugum originariæ subjectionis quærentes abjicere, imo ausu temerario contemnentes, in aliarum Civitatum Cives recipi se procurant & frequentius in præterito procurarunt & nihilominus in priorum dominorum, quos tali fraude præsumserunt vel præsumunt deserere, terris, civitatibus, oppidis & villis,*

& villis corporaliter residentes civitatum ad quas hoc modo se transferunt, libertatibus gaudere & ab eis defensari contendunt, qui in partibus Allemanniæ Pfalburgeri consueverunt vulgariter appellari. Quoniam autem patrocinari non debent alicui fraus & dolus, de Imperatoræ potestatis plenitudine omnium Principum Electorum, ecclesiasticorum & secularium, sano accedente consilio, ex certa conscientia statuimus & præsenti lege perpetuâ valitura sancimus: quod prædicti cives & subditi eis, quibus subsunt, taliter illudentes in omnibus terris, locis & provinciis sacri Imperii à præsenti die in posterum, Civitatum, in quarum cives tali fraude recipi se procurant, juribus & libertatibus in nullo potiantur. A. B. d. tit. 16. §. 1. & 2.

IX. Hoc tamen non obstante plurimi iique non infimi subsellii DD. contendunt, quod, per consuetudinem universalem in Germania nostra receptam domicilium etiam originis quoad omnia per renunciationem tolli & amitti, & quilibet civis, modo alias liber homo sit, domino etiam invito jus civitatis resignare, alio migrare aliamque Civitatem pro lubitu adire possit. Laudatur hanc in sententiam Matth. de Afflict. *Dec. 384.* à Gail. *lib. 2. Obs. 36. n. 7.* add. Mev. *ad Jus. Lub. l. 1. tit. 2. art. 2. n. 69.* in tantum ut statutum mutationem domicilii prohibens pro nullo & libertati naturali noxio habeant, arg. *L. 28. & 71. §. 2. de cond. & demonstr.* Henr. Klock. *de vectig. Concl. 63.* Schepliz *ad consuetud. Brandenb. p. 4. tit. 14. §. 2. n. 8.* Myler ab Ehrenbach. *de Princip. & Statib. Imp. part. 2. cap. 63. §. 4.* & *in addit.* ad Rumel. *Comment. ad* A. B. *p 2. diss. 5. §. 5. & plur.* Knipscild. *de jur. & privileg. Civit. Imp. lib. 2. cap. 20. n. 2. seq.*

X. Pro stabilienda hac sua sententia plures quidem hic adducunt non tantum textus Juris Civilis & inter illos præsertim *L. 5. §. fin. de Captiv. & postlim. reverf. cum simil.* sed & Recess. Imp. *de anno 1555. §.* **Wo aber unser.** & Instrum. Pac. *Art. 5. §. 12.* quin imo & argumento, quod ex Aur. Bulla deduci potest, pro more suo solidissimis argumentis obviam ir Illustr. Dn. de Ludewig **in der vollständigen Erläuterung der güldenen Bull.** *art. 2. tit. 16. §. 1.*

XI. Sed cum textus illi Juris Civilis sicut in aliis plurimis causis, quæ præsentem Germaniæ nostræ statum concernunt ita & hic adæquatè allegari nequeant, atque *Constit. d. Recess. Imp.* propriè tantum de eo casu, si quis religionis & pietatis ergo tristi ac lamentabili emigrandi beneficio uti velit, loquatur. Vid. Rumel. *d. p 2. diss. 5. §. 5.* & Rudolph. Gottofred. Knichen in Op. Politic. *lib. 2. part. 2. sect. 2. §. 2.* Prætereaque mens illustr. Domini Ludevvigi eo tantum redeat, ut domonstrare velit libertatem emigrandi civibus Imperii non simpliciter esse prohibitam, & gabellam Detractionis **die Nach Steuer/** non esse confundendam **mit dem Laß Geld/** de qua vid. ipsum latè in *erudit. tract. de jure Clientel. Germ. in. feud. & colon. Sect. 3. Cap. 5.* Cuncta hæc & si quæ alia proferri velint tanti ponderis non existimamus, ut nos moveant, ut ab iis principiis,

cipiis, quæ supra fundamenti loco posuimus, recedamus: quin immo firmiori semper iis inhæremus pede:

XII. Quid denique si illi ipsi qui in contrarium abeunt DD. confitentur ad unum fere omnes, plures dari casus, in quibus emigratio subditis non sit permissa, veluti si secessus fiat gregatim, si intempestive, si in fraudem concivium, itemque si ad certum tempus societas fuerit inita: Vid. Pufendorf. *d. lib. 8. cap. 11. §. 2.* vel si statuto aut moribus libertati isti fuerit derogatum, quod expresse asserit modò inter dissentientes allegatus Mev. *d. art. 2. n. 70.*

XIII. Nostram igitur ut tandem de vexatissima hac quæstione subjugamus sententiam, illa brevissimis eò redit: possit Principem vel Statum quemvis Imperii emigrationem quandoque subditis vel penitus prohibere vel etiam sub certis conditionibus eandem permittere. vid. Stamm. *de servit. personali. lib. 3. cap. 12. §. 11.* Bextorff. Arum. & Rumel. *ad A. B. d. art. 2. tit. 6.* adeo, ut negligentium bona per arresta sisti possint, nec constitutio Imperii super arrestis hic allegari aut locum invenire queat. Vid. Magnif. Dn. Dr. Schvveder introduct. Jur. Publ. part. spec. sect. 2. c. 15. §. 4.

Cap. III.

De

Origine & æquitate Iuris Detractus.

§. 1.

ORiginem Juris Detractus quod attinet, illam quidem communiter referunt ad temqora *D. Augusti*, qui, cum ob varia bellorum impendia maximis pecuniis opus haberat, restaurandi & adaugendi ærarii militatis gratia *Legem* tulisse fertur *Papiam*, quæ diversa continebat Capita; Interque ea erat, *Primum*, ut siquis extraneus hæres institutus fuisset, is priusquam hæreditatem aditet, vicesimam partem fisco impendere teneretur, à qua tamen lege filii & proximiores hæredes erant exempti, teste Dion. Cass. *Histor. Lib. 15. Alterum*, ut si hæres institutus vivente testatore, vel ante aditam hæreditatem, decessisset, fisco bona addicerentur. *Tertium*, ut, de eo quod vir uxori vel uxor viro legasset, decima pars fisce attribueretur, si filios non haberent Andr. Alciat. *Disputat. Lib. 3. Cap. 6.* cui addunt leges quas idem Imp. Augustus de maritandis ordinibus tulit, quibus eos qui post annum quintum & vigesimum uxorem non duxissent; aut duxissent quidem, sed liberos non procreassent, hæreditatum quas crevissent, & legatorum quæ sibi relicta essent partem caducam in fiscum inferre cogebat; Quam ob rem summam Augusti prudentiam pluribus laudat Bodinus *de Republica lib. 6.* pag. (661.) 1034. sed *primum* saltem hujus constitutionis Imperatoriæ caput nostrum tangit scopum, quemadmodum alias etiam similium fere

jurium

jurium vestigia legere licet in *L. 2. §. 44. de O. I.* ubi dicit, quod *Osilius*, qui in equestri ordine perseveraverit & Cæsari familiarissimus fuerit, de *Legibus vicensimæ* (vicesimæ) primus scripserit, quem, teste Godofred. *in not. ibid.* sequutus est Æmilius Macer. jung. *tot. tit. C. Quando & quibus quarta pars L. un. C. Non licere habitator. metrocom. L. fin. C. de Edict. Div. Hadr. toll.* Jul. Cæs. Bulenberger *de tribus. Pop. Rom. cap. 21. & 27.*

II. Etsi autem magna hæc inter jura sit conformitas & similitudo, ita ut nonnulli arbitrentur, vicesimam istam ansam præbuisse, qua hæc nostra decima vel potius jus detractus in Germania fuerit introductum; tantum tamen abest ut hic origo ejus possit quæri, quantò clarius constet vicessimam istam posteriobus LLbus, (num bene aut male fuerit factum judicio aliorum relinquimus) rursus fuisse abrogatam & jam tempore D. Justiniani in consuetudinem abiisse per *d. L. fin. C. de Edict. D. Hadr. toll.* Quod autem semel abrogatum est in totum, id ut rursus valeat, valorem a se ipso habere nequit, sed ab alio, qui priorem statum restituere potest, pedi debet: nec statim illud quod mihi occassionem aliquid faciendi præbet, etiam origo rei faciendæ vel postmodum factæ dici potest, uti communiter loqui amant DD.

Anhang

ADAMI CORTREJI

Observata ad Instrumenti Pacis Westphalicæ

Art. 11. §. 2.

Ex Autographo edita

ARTICULI XI. §. Teneatur item. 3.

Argumentum

DE Manutentione Comitis à Tattenbach in possessione Comitatus Rheinstein, deque Investitura ab Archi-Duce Austriæ Leopoldo Gvilielmo, ut Episcopo qvondam Halberstadiensi, consensu Capituli facta, ab Electore Brandenburgico ut Principatus Halberstadiensis Domino Hereditario renovanda; Deque controversiâ inter Potentissimam Domum Brandenburgicam & Serenissimam Dominum Brunsvico-Lunæburgicam, Linea Tattenbachianâ exstinctâ, subortâ & adhuc pendente.

Tenor Instrumenti Pacis.

Teneatur item Dominus Elector Comitem a Tattenbach in possessione Comitatus Rheinstein conservare, Eidemque Investituram a Domino Archi-Duce de consensu Capituli concessam renovare.